



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1634

Prima Pars eiusdem Meditationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60472)

omnes generaliter vocat. Exercitium hoc, præter Orationem præparatoriam, duo præambula habet, & duas partes: quarum prima est, exemplum & similitudo Regis temporalis subditos suos euocantis ad bellum; secunda, applicatio istius similitudinis ad Christum Dominum nostrum. Et singulæ partes habent tria Puncta.

PRIMA PARS *huius Meditationis.*

IN PRIMO PUNCTO nota qualitates Regis huius humani qui hîc proponitur. Prima est, Princeps à Deo electus, legitimus. Secunda, Rex vniuersalis omnium Principum, Populorum, & omnium Christianorum. Tertiò, Considerare in eo debemus prudentiam, benignitatem, liberalitatem, clementiam, iustitiam, & de omnibus suis subditis prouidentiam, reliquasque proprietates quæ Regi à Deo super tot subditos constituto conueniunt.

In

In SECUNDO considera eius Regis discursum: & nota Primò, quàm rationalis sit eius petitio: ipse enim non vult manere in deliciis & commoditatibus suæ Aulæ, sed ad bellum vult primus procedere; nec delicatius vult ipse tractari quàm ipsi sui milites; imò desiderat, milites sibi Regi pares sint in comedendo, bibendo, ipsoque vestitu: nec se belli periculis eximere, aut ad tutiora loca se conferre vult, solâ suâ omnes præsentiam animare desiderans; quinimò loca maximè periculosa hostibusque exposita præeligit, vultque interdum in omnibus laboribus, noctu verò in vigiliis excubiisque primus inueniri. Et quamuis inter Reges hîc in terrâ vix sit inuenire qui hoc faciat; ponuntur tamen peculiariter hîc omnes istæ circumstantiæ, vt oculi aperiantur in accuratâ consideratione exemplorum Christi Domini nostri, & principium detur eius voci & vocacioni, quando dixit: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic*

illic

illic & minister meus erit. Ioan. 12.

Nota secundò, Quòd in promissione hac Regis, quâ suis militibus partem victoriæ addicit, prout quisque laborum & molestiarum socius extiterit, iam incipiat apparere differentia graduum qui in perfectione sunt: illi enim consistunt in maiori vel minori Christi imitatione, prout plus aut minùs socius quis laborum fuerit. cui respondent varij gradus gloriæ in cælo.

IN TERTIO PUNCTO considera, quomodo ab affectibus & sensibus humanis, qui nobis familiariores sunt & magis noti, anima ascendere debeat ad affectus & sensa spiritualia, quæ magis secreta sunt & à sensibus remotiora: & ideò quando quis illis similitudinibus utitur, multùm refert intelligere, quid in talibus casibus & rebus humanis euenire soleat, gradum ab iis ad diuina faciendo. Atque ita in Exercitio præsentis, ut quis ex eo fructum referat, videatur cum attentione, Primò, Quid dicant boni & fideles subditi;

ti; & quid soleant aut debeant respondere ad tam iustam Regis humani & tam liberalis petitionem. Secundò, Si aliquis reperiretur qui Regem suum in tali occasione sequi nollet, haberetur infamis, vecors, infidelis, peruersus miles, & omni in hoc mundo vituperio dignus. Quam in rem notanda sunt Vriæ verba ad Dauidem 2. Reg. 11.

Arca Dei & Israel & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terra manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc. Et quod respondit Ethai Getæus eidem Dauid, cum exiret fugiens à facie Absalom, volenti sibi persuadere, ne se comitaretur in illo periculo, 2. Reg. 15.

Viuit Dominus, & viuit dominus meus Rex; quoniam in quocumq; loco fueris domine mi Rex, siue in morte, siue in vitâ, ibi erit seruus tuus. Si hoc dixerit externus, quid deberet dicere subditus naturalis?

SE-